



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA 118  
DE  
**FONTIUM SALU-  
TARIUM USU ET  
ABUSU.**

*QVAM*

SUB AUSPICIO DIVINO,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQVA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATU-  
RALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LON-  
GE DIGNISSIMO, DECANO h. t. SPECTATISSIMO,  
DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO  
*omni Observantia atque Honoris cultu atatem colendo,*

**PRO LICENTIA,**

Summos in Arte Medica Honores, & Privilegia legitimè obtinendi,  
*Ad d. April. M DCC XIII, horis ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Philiatorum Ventilationi submittit,

**PHILIPPUS HARTMUTHUS** *Bärtner*

ITZSTEINIO NASSOVICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE

DE

FONITIVUM SALLI

TARIUM USU ET

ABUSU

LEVIN

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS A S. DOMINO

DR. FRIDERICO WILHELMO  
FRANCIS BOYLE, M. D. CHIRUR. BRAN.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

GRATISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSUETO

EXAMINE

DR. GEORGIO ERNESTO STANKE

CONFERENTIAE PRAESIDI REGNI ET REGNI MAGIS  
ALTONAENSIS UNIVERSITATIS MEDICAE FACULTATIS

PRO LICENTIA

Summae et Excellentissimae Illustrissimae  
Saxoniae et Poloniarum Regiae Universitatis  
Medicae Facultatis Praesidi

IN AUSTROBOGEMIS

PHILIPPO HARMENNO S. M. D. D.

M. D. C. C. C. C.

W. V. W. W. W. W.

THE GERMAN MEDICAL SOCIETY





## PROOEMIUM.



Uemadmodum Ars quælibet, tanquam habitus cum recta ratione effectivus, duo complectitur atque præsupponit; nempe primo, intellectum, de modo atque methodo, pro obtinendo & producendo effectu destinato, debite instructum: Secundo, actuati-  
nem, administrationem, atque gubernationem, & undique iustam applicationem, instrumentorum, tanquam ministrarum causarum: Ita valet hoc etiam omnino de Medica arte. Si enim æquè etiam hæc ars, satis exquisitè intelligat, quid, in subjecto idoneo, operari & efficere liceat atque deceat; tamen sola hac scientia effectum nullum unquam assequitur; nisi secundum hujus ductum atque regulam, instruat, suscipiat, prosequatur, & exsequatur, actiones: quas cum vix usquam sine Instrumentis debitis perpetrare liceat, maxima certe etiam horum habenda venit ratio, quatenus vel (etiam longius excurrente,) ratione, intelligi possunt effectui tali

convenire & quadrare: Vel nuda interdum experientia, illi satisfacere, sentiuntur. Quo ultimo respectu, manuariis artibus passim sufficit experientia, licet rationem neque cogitent neque passim in numerato habere, ob quam instrumenta sua effectum desideratum assequantur: Utpote quæ consideratio atque ratio, non tam pressè & directè ita ipsam artem concernit, ut ab illa separari non possit, sed potius jam longius dissitæ, quin alterius plane, classis existit. Verbi gratia: dum ferrarii fabri, limâ utentes, efficaciam ejus non aliunde metiuntur, quam à sufficiente duritie, recente adhuc, aut diutius durante, acie, & majore vel minore incisionum ejus densitate & profunditate; atque hinc propius pendente rudiore atque crasfiori, aut tenuiore atque subtiliore, concerpenti & radendi effectû: duritie ulteriore ratione, physicis, proportionem ad præstandam rasuram in genere, Mathematico mechanicis, considerationibus, relicta: horologiorum faber, Merolabio suo, (die Theil-Scheibe,) feliciter ad suæ artis effectus producendos utitur, licet tam *Mathematico-Geometricam* ejus exactam rationem, & causam proportionis numerorum in pluribus rotulis, potius de tabella noscat; quam ut *Geometrico-Mechanicis* progressus computum ex parte intelligat; nec ipse etiam orbitam talem sibi parare, per exquisitam *polygonorum* distributionem, è fundamento cognitum & perspectum habeat, tanquam ad *Mathematico-Mechanicam*, non vero directè ad suam, scientiam & artem referendam, &c. Interim in medica arte illud utique exquisitam contemplationem meretur, quod, cum nulla usquam alia ars, tanti numeri

ap-



apparatu atque instrumentis, polleat, quam in hac vulgo laudantur atque memorantur; tamen vix ulla proficit alia ars, quæ minus feliciter certitudinem propositorum effectuum assequatur. Est hujus rei exemplar atque documentum, inter innumera, valde luculentum atque eminens, illud vulgo dictum medicorum practitorum ultimum refugium, ut, post irrita multa atque diuturna varia alia artis instrumenta & tentamina, patientes, chronicis imprimis affectibus oneratos, ad salutare fontes, ablegent. Qua de re, quamvis solum ut in genere, ne dissertationis loco librum prolixum scribere suscipiamus, INAUGURALIS SPECIMINIS nomine, theses aliquas proferre, nempe *de USU ET ABUSU FONTIUM SALUTARIUM IN GENERE*, agere, cum in animum induxerimus, rogamus DEUM Ter Optimum Maximum, ut veritatis suæ jubar nobis affulgere clementissime sinat, & his nostris conatibus ex alto benedicat.

Th. I.

**D**E FONTIUM SALUTARIUM USU ET ABUSU, differere dum aggredimur, non arbitramur necesse esse, ut ulla prolixitate utamur, in explicanda mente nostra circa *acceptionem* vocis, *fontium salutarium*; dum scilicet unusquisque facile utique comprehendit, quod nihil plane aliud intelligamus, quam *naturali*, ut vulgo loquuntur, nempe spontaneo, *motu scarurientes*, tum *calidos* fontes, seu *thermas*, tum *frigidos*, *Salino-Virriolico* sapore notabiles, & inde *acidularum* appellatione, vulgo notatos atque notos: Quibus tamen etiam adhuc annumerari

rari merentur, *scaturigines*, præsertim *uberiores*, *inuisitatis locis* aliquando prorumpentes; quarum aquas similiter, inprimis per initia, effectus aliquos medicos exerere, experientia testatum facit, licet neque tam eminentem sapore, nec ipsis etiam aliis docimasis, insignem salledinem ostendant.

II.

Hujusmodi fontibus cum Europa passim scateat, & à longis retro temporibus, primo probabiliter *fortuita*, postea vero etiam *deliberato* consilio instituta, experientia, peculiariter aliquos in corpore humano effectus ostenderit, natus hinc est aquarum talium Medicus usus. Et cum dies diem doceat, instituta de tempore *in tempus* etiam solertiore observatione, animadvertum sensim est, qualibus inprimis constitutionibus corporum & morborum, non solum *in genere*, *thermæ* præ *acidulis*, & *vicissim* hæ præ illis; usum præbeant laudabilem; sed etiam *specialius*, quomodo *unius loci* thermæ, aut acidulæ, præ similibus *aliorum* locorum, diversis subiectis diversimode quadrent.

III.

Neque vero solum de *utilitate* hoc valet; sed etiam de *inutilitate*, incommodis, aut periculosis effectibus. Id quod *duplici* modo sese exerit; dum etiam *acidulas*, *sani* prorsus homines, incolæ & accolæ illorum locorum ubi scaturiunt, inprimis *temperatiores*, sine incommoda aliqua alteratione, indifferenter passim usurpant: imo bruta quoque, jumenta, sine damno corporis sui illas aliquando degustare possunt. Aliquæ vero tales *falso-vitriolicæ* aquæ, neque *sani* hominibus, nec *egris* tolerabiles, hinc inde etiam inveniuntur: Quales eminentius sunt, quæ sensibilibus de *cupreo vitriolo* participant, nedum quæ prorsus illo abundant. Neque tamen hoc solum, sed succurrit memoriæ hujus rei exemplum, de *ferreis* recrementis; dum v. gr. *Schmalkaldie*, in suburbanis propemodum pagis, *Mittel- und Klein-Schmalkalden*,



den, à moletrinis exacuatoriis, von den Schleiff-Mühlen, defluentes rivi, subtili chalybis pulvillo infecti, partim quidem à jumentis, aversione sensibili negligi observantur, partim autem, si ab adfuetis ibi educatis, sine sensibili noxa bibantur, tamen adventitiis in adfuetis, non modo morbum, sed & intemperantius bibitæ, noxam, imò mortem inducere,prehenduntur: quasi naturali vitio his aquis inducto.

IV.

Quemadmodum etiam pleræque res, usu aliquo commendabiles, legitimam tamen *administrationem*, & *regulas* quasi atque *modum* certum utendi, requirunt; extra quem vel minus commode, vel prorsus incommode cedit, imo nocet, illarum usurpatio: ita valet hoc omnino etiam de his fontibus, & aquis, imprimis autem *qualitate* illa peculiari *prepollentibus*. Unde etiam est, quod laudabili prorsus instituto, ac intentione, à ditionum talium Dominis atque Magistratibus, medici proprii constituentur, qui judiciose discernere debeant, tam verum aquarum talium effectum, atque salutari scopo satisfacientem usum: quam hominum illas usurpare aventium, partim perito examini invigilare, num affectibus, quibus aquæ illæ prodesse possint, revera laborent: tum denique recte præscribendo atque *ordinando* moderamini, & ostendendæ *methodo*, qua optatum effectum assequi contingere possint.

V.

Sicuti autem ea passim est rerum humanarum infelicitas, ut bona *intentio* sæpenumero impari *inventione* exequendi, contrarium aut irritum eventum fortiatur: ita testatur subinde experientia, quod, ubicunque tandem lateat error, à salutaribus etiam ceteroquin ejusmodi aquis, contrarii penitus effectus, eo impetu irrumpant & sequantur, ut nomen hoc, *effectuum* potius, quam fortuitorum *eventuum*, non possint detrectare.

VI.

VI.

Quamvis enim de *Medicis*, optima quæque præsumamus; nempe in primis præfectis aquarum talium præsentiori ordinationi atque administrationis directioni: fieri tamen, si non solet, utique tamen potest, ut à *Medicis* longius absentibus, neque de peculiari aquarum talium genio satis edoctis, intempestiva fiducia, ægris ita in genere fontium talium usus salutaris censeatur, ut suasu illorum, bonæ spei, ita mordicus inhæreant, ut etiam dubitantibus imo vel plane dissuadentibus, alteris illis, tentamini quasi ancipiti obstinatè insistentes, non modo sinisteriorem, sed non raro etiam funestum, audaciæ suæ eventum experiantur.

VII.

Fovet & sustentat hos errores, fatalis illa *ambiguitas*, circa exquisitam *diagnosin*, atque firmam *ætiologiam*, aliquot morborum, firmiter discernendam ac determinandam. Cujusmodi specimina ingentia sunt, *dijudicatio*, *pectoralis*, *phthistica*, & *hypochondriacæ*, *hectica*, *TABIS*: & hujus etiam posterioris, diversorum *graduum*, & radicis altius iam, imo profundius, actæ. *Cachexia* item adhuc levioris; & jam in *hydropem* obfirmatæ *ædematose* constitutionis. Quin etiam *extenuationis* adhuc simplicius *atrophicæ* potius, quam sive *hecticæ*, sive *phthisticæ*. *Dolorum* quoque *rheumatico-arthriticorum*; & *vere nephritico-calculosorum*.

VIII.

Unde si ægri aliqui, vel *cachectica*, vel *atrophica*, vel *rheumatico arthritica* adhuc moderatiora, pathemata sentientes, ab aquarum talium usu, in primis sub reliquo indolis suæ *vigore* atque robore, salutarem morborum talium eventum assequuntur: familiariter certe subnascitur inde erronea opinio, ut dum illi pro *hydropicis*, *hecticis* atque *phthisticis*, sibi atque aliis, judicati atque habiti fuerunt, *heteroclitæ* inde sentantur observationes tales, quod tales aquæ etiam in ejusmodi *morbis*, non omni exoptata efficacia eò usque destitu-

tuantur, quin spes aliqua adhuc supersit, quod etiam aliis morbos tales tolerantibus, adhuc prodesse possint.

IX.

Agnoscit interim, è longâ, & solo constantiori atque evidentiori eventu confirmata experientia, plebs incolarum in illis locis, ubi fontes tales à longo jam tempore in usu frequente fuerunt, quibus morborum speciebus, & ægrorum jam gravius affectorum constitutionibus, aquæ illæ minùs bonæ spei polliceantur. Unde nata in ore habent proverbialia prorsus illa præfagia, *hydropicis* inprimis & *tabidis* male ominantia, quod ita affecti, si ad fontes illos suos proficisci secum constituerint, eventibus suis commode prospecturi, *sarcophagum* secum asportare memores esse debeant: & habitum propemodum acquisiverunt, ex aspectu ægrorum ad illos venientium, de spei, boni aut mali successus, probabilitate, judicandi.

X.

Cum autem Medica Ars nequaquam utique *rectâ ratione, scientifica* inquam contemplatione, planè destituta esse debeat; Optandum tamen omnimodo est, ut exquisita discretionè distinguantur contemplationes, quæ vel *propius* ad artis hujus usum faciunt: vel longius *excurrentes*, ad aliarum potius *disciplinarum* ambitum referendæ sunt. Ubi, cum inprimis *Theoria* occupata esse soleat, præsertim in *physico-Medicis* objectis, in rerum quæ revera *existunt, causis* evolvendis; hoc ipsum autem universum negotium, *materia-liter*, pro fundamento agnoscat *historicam* notitiam, seu *experientiam*, variarum circumstantiarum, in sensus incurrentium: (& revera eminenter hic *nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu,*) liquet inde, quod *experientia*, magnam partem, nempe totam *materialem* constitutionem, *scientiæ formaliter* inde coagmentandæ, complectatur & ab solvat.

Unde nempe ad *medicam scientiam*, *strictè* dictam, propius, sufficere potest vera & undiquaque, quoad ejus fieri potest, plena & exacta, notitia *historica*; quibus *morbis*, quibus illorum *gradibus*, *progressibus*, *temporibus*, quali ægrorum *sexui*, *ætati*, *habitu*, reliquo naturæ *vigori*, corporis *robore*, & specialioribus *corporum*, & *motuum* in illis, *vicissitudinibus*, tum aliud quodlibet remedium, tum etiam *aque hæ medicatæ*, constanter & evidenter conducant atque salutarem effectum præbeant. Quarum multiplicium rerum, inter se mutuo, habitum, rectè perpendere, comparare, atque dijudicare, longe maximam partem *medicæ, strictè* dictæ, *theoriæ*, *considerationis*, *contemplationis*, atque *comparationis*, & denique *collectionis* seu conclusionis, absolvit.

Non tam autem amplius ad *Medicam strictè* dictam, sed *physicam* magis, aut ad summum *præpollentem* in mutuo confortio, nempe *physico-Medicinalem*, theoriam pertinet illa contemplatio, quæ quæstioni satisfacere debeat; "quodnam "physico, aut physico-mechanico, corporeo contactu, & "proportionato habitu, reciproca actione aut passione, materia aliqua extranea, materiali habitui, & sit venia verbo mortuali proportioni, ita quadrare intelligi possit, ut tam *physicæ*, necessarius, *absolutus*, quam *moraliter*, utilis aut necessarius, *respectivus*, huic præsentis casui & statui applicandus, actus & effectus, sequi, aut tanquam secuturus, *intelligi*, & mente præcipi possit.

Qua in re, uti notanda, ita facile deprehendenda & invenienda est, antè omnia *Hippocratis*, & ex bona adhuc parte *Galen*i, (tanquam & ævo propioris, & ipsa re potioris, interpretis illius,) *contemplandi*, atque cognoscendi ratio. Ubi *Hippocrates*, dum omnino Medicinæ sectatori commendat, ut studeat *Physicus* esse; tamen quid hoc nomine intellectum

ctum venit, planis & simplicibus verbis explicat atque exponit, ipsis primis lineis tractatus de *Natura humana*, inquit: *qui plus, quàm ad Medicinam pertinet, audire veti de natura sermonum haberi, illi nequaquam accommoda est, (aut satisfaciens) mea dissertatio.* Præterea verò, ut à posteriori, vix usquam in vasto suorum operum complexu, ullum vestigium presissè observatur, ubi plus, quam quod ad veritatem *experientiæ*, generatim, & *comparativæ* ejus observationis, dijudicationis, & applicationis, pressè pertinet, quadrat, aut respicit, protulerit.

XIV.

*Galenus* autem, vix usquam transgreditur *primos*, & quantum ad *sensibilem* tantum effectum *proximos*, habitus *reciprocos*, *materiarum* inquilinarum corporis humani; & earundem quoque spontanearum veluti *successivarum mutationum*: & *extranearum*, *adsciticiarum*, in subsidium advocandarum, atque modi & ordinis *adhibendi* potius easdem, quam *operandi* earundem.

XV.

In eo vero tertio, cum *Hippocrate*, præcipuis suis lucubrationibus & consignationibus, toto in illa re occupato, studio se conspirat etiam *Galenus*, ut *motuum* potius, qui in corpore *vivo, ut tali*, fieri observantur, & observandi veniunt, veram atque planam *historiam* recenseant, quam de *materiis*, hoc *respectu*, earumque directis ad quoscunque *motus, rationibus & proportionibus*, prolixos sermones misceant.

XVI.

Unde toti libri *Hippocratis*, *Prognosticorum*, *Coacorum prænotionum*, *Epidemiorum*, *Prorheticorum*, (cujus nequidem *appellationis*, verus, simplex, atque planus, sensus passim satis agnitus invenitur,) de *judicationibus*, de *diebus judicatoriis*, de *affectibus* seu *passionibus*, de *morbis internis*, de *locis affectis*, de *muliebribus affectibus*, de *natura pueri*, de *aère aquis & locis*, de *virginum morbis*, de *septimestri & octi-*

*mestri partu*: imo de *dieta*, de *acutorum dieta*, imo de *purgantibus*, de *veratri usu*, de antidotis &c. quid quæso aliud exhibent aut ostendunt, quam multiplicem ferè nudè *historiam* commemorationem, *Quid*, non autem *quomodo*, præter pressè sensualem ordinem & experientiam simplicissimam, in corpore fieri soleat; adeoque, per individua, ita eventurum, expectari possit. Eo usque, ut etiam qualescunque, certè longe simplicissimæ, & passim non tam *ratione*, quam ipso *sensu* assequendæ, effectuum proportionem, attingantur.

XVII.

*Galenus* autem, ut fere multus est in generalissimarum, *primarum* seu *elementalium* qualitatum allegationibus; de *secundis* autem, vix ultra respectus *tenuitatis* aut *crassitie* materialium, sese extendit: de reliquo vero, tam ipse, quam *Hippocrates*, de *effectibus* variarum activiorum materialium, in primis *bilis* variæ, nihil propemodum quidquam aliud, quam nudam *historiam experientie* afferunt, quid *calida* talis, aut ad summum *acris* materia, in diversas partes corporis, prolapsa aut effusa, ibi edat effectuum: non tam *speculabunda* ratione, & hujus conjecturis, quam ipso *sensu*, percipiendorum atque judicandorum. Et tam *Hippocrates*, quam *Galenus*, vix usquam quidquam aliud, & speculabunda *ratione* atque comparatione, consilii aut auxilii huic, tam *efficacie*, quam *effectui*, quærunt aut inventum, commendant, quam *efficacie* ejus, (à *spontaneis* successibus expectandam,) *incrassatoriam* concoctionem, aut (*effectibus præoccupandis*) *tempestivam evacuationem*: & omnis propemodum posteritas, huic eidem fundamento inhærens, (ut ne hodierna quidem, alterius census, nempe *Physico-Chymica* experientia, magis exulta, *experientia*, inquam, simpliciore, nec adhuc longius, in *Physico-Mechanicis* respectibus, quærenda habitudine, aliquid ad *medicam* experientiam, prudentiore *comparatione*, *ratiocinatione*, & *consilio*, transulerit,) *cholericis* pathematibus *Emetico-Catharticis*, nihil, nisi partim *materie*,  
par-

partim affectarum *partium*, qualemunque *lenitionem*, per *lubrica & subnucida*, simulque *largius* hausta (tanquam ad nudam distractionem *dilutoriam* illius materiae urentis) neque ratione destinaverit, nec experientia commendandum senserit.

XIIX.

Ex quibus inquam, monumentis atque documentis, (ne in has res nimio prolixius diffundamur,) satis diluescere potest, tam, quid ad ipsam *medicam* theoriam, & veram ejus *sphaeram*, referendum veniat; quam quid suis exemplis, primo loco *Hippocrates*, & post ipsum *Galenus*, de hac *scientia*, quatenus ad *medicum* pertinente, non solum senserint, sed etiam veluti statuerint atque constituerint: Quos longa *annorum*, imo *seculorum*, serie, posteritas ita pressis vestigiis secuta est, ut nihil potius, quam multum, supplere vel adjacere, cordi habuerit, aut necessarium duxerit.

XIX.

Quamquam etiam longè lateque hodie diffusa, *confusa* illa & intricata, & passim in ipsa *rei veritate* malè fundata, opinionum, aut annotationum atque deductionum sylloge, quæ *Theoria Medicæ* nomine decantatur, maximam partem potius nudas *physico chymicas* considerationes respicit, quam vere *Medicos* scopos aut usus; nempe nimio plus occupata, circa contemplationem *corporis*, simpliciter ut *materialis & mixti*: non vero ut *motibus* animati & *actuati*, seu *Vivi*: quo *ultimo* tamen, *præcipuo*, respectu, pleraque, etiam maximi momenti, offendicula & pericula *materialia*, sine ipsarum *matariarum*, *directa* aut eximia mutatione, solum per illarum tempestivas *remotiones*, *dimotiones*, & tandem ex universo corpore *emotiones* & *ejectiones*, vincuntur, & corpus ab illis *reparatur*, *liberatur*, & *remotis* talibus alienis rebus, & successive *reparatis* amissis portionibus, homogeneitati suæ vindicatur atque restituitur: Præbet nobis tamen etiam occasionem luculentam, imò manuducit nos veluti, quin inducit,

materia quam exponendam suscepimus, ut non solum de hac re elucidanda cogitemus, sed etiam tanquam *paradigmate* quodam, illius usum, explicatione & applicatione, ostendamus.

XX.

Ita enim, si de vera *utilitate*, & vero *modo utendi*, utroque respectu *Salutari*, *fontium Salutarium* talium, instituenta sit consideratio; id est, conquirenda sit, & memori mente reponenda, *scientia*: & deinde ad *practicum* usum, è memoria per iudicium destinanda, & denique depromenda veniat, *practica* applicatio, *variarum aquarum salutarium*: Afferimus, quod *Medicæ* theoriæ, hic *sufficere* possit, *scire*, & è longæ & constantis, multorum annorum & ægrorum, *experientie* exemplis, auditis atque lectis, informatum atque confirmatum esse, quod hæc *aque*, illis morborum *generibus*, istæ *aliis*, illæ iterum *aliis* &c. experto bono effectu succurrant, atque ad *tales*, salutarem efficaciam exhibeant. Sufficere, in primis, hoc potest *Medico* scopo, pro *theoria*, nempe *memoriali notitia*, seu *pragmatica*, nempe ad practicos usus deducenda, *scientia*; quod tales aquæ, & ad quos affectus, in rei veritate utiles existant, *Sufficere* potest, porro, tanquam *pragmatica*, talis *scientia*, seu *Medica theoria*, si ulterius memori mente comprehenderit Medicus, sub *quo utendi modo*, quali *tempore*, qua *mensura*, quo *ordine*, quibus forte *aliis adminiculis*, *præmittendis*, *conjungendis* aut *interponendis*, aut *subjungendis*, aquæ tales, effectum illum *salutarem* revera assequantur: aut, aliqua rerum harum *ignorata*, adeoque *neglecta*, effectu illo plus minus destituantur. Hæc, inquam, *Theoriâ*, complexum esse, id est perspecta habere, scire, & horum certitudinis conscium esse, asseveramus *sufficere* Medico, qua tali.

XXI.

Id quod simplicissima demonstratione facile est confirmare. Cum enim *rationi* utique nihil manifestius consentaneum sit, quam, quod illa remedia, quæ desiderato in his  
ca-



casibus scopo satisfaciunt; & *quatenus*, per experientiam constantem, hoc testatum reddunt, hoc ipso utique totum *scopum Medicum* absolvant atque exequantur: adeoque *Medicus quarealis*, in hoc genere *scientiæ*, revera acquiescere possit, si satis certò sciat, ratione *τῆ ὄρι*, QUOD utique tales materiæ, talem effectum edant: ratione *τῆ διόρι*; verò, si Medicus perspectum habeat illum exhibendi *Modum*, & noverit *tempus*, & reliquas forte circumstantias, quibus exoptatus effectus sese exerere solet; videtur certè etiam in hac re necessaria *contemplatione*, in ordine ad *medicum* effectum *scientificò*, ita satis potitus esse: ut, quemadmodum hac ratione *effectum* ipsum exoptatum assequitur; ita etiam in *modo*, eundem rectè atque *ordine* assequendi & exequendi, undique ita habeat, in quo securè acquiescere possit.

XXII.

Alterius autem iam instituti omninò est, si non contentus hac notitiâ, *causarum* ad hunc scopum & *necessariorum*, & ferè *satisfacientium*; curiosus sit disquirendi, quâ forte, *remotiore* agendi ratione atque efficacia, materiæ tales, quas optatus ille effectus sequitur, *corporali contactu* vel *actu*, verisimiliter hoc perpetrent & absolvant? Ubi non amplius *medicum*, sed *practicè*, *Chymicum*, *theoreticè* vero *physicum*, excutere debet scrinium. Ubi certe, si modo ipsi suppetat hoc otium, inveniet, quod agat: Simulque, certè opus habebit bene fundata & exercita *praxi* atque usu justæ *connexionis* atque *collectionis*, ad verè tandem assequendum, *quosque* *omnis* hic conatus atque labor, intentioni suæ satisfaciat.

XXIII.

Ut enim de aliis *materialibus* conditionibus, tam ipsius *corporis* humani, quam ita dictæ *medicæ materiæ*, (in quam propemodum universa hæc res undique quadrat,) jam nihil dicamus; abundè nobis erit occasionis, in ipsa *fontium salutarium* consideratione atque *docimasia*, secundum hos respectus, ad hunc diem ulitata atque exercita, *paradigma* talium

CO-

conaminum perlustrare. Quis enim nescit, quod, tam toto seculo, & quod excurrit, antiquiores, quam proximorum quorumlibet temporum, *Physici* atque *Chymici*, de *acidulis* quidem, per examina, è *triviali* Chymia instituta, partim quidem inter se conveniant & consentiant, quod illæ quidem velut eminenter, *virriolicum* aliquod sal contineant; sed simul etiam, aliquid *aluminis*, *nitri*, *salis communis*, imo *calcarie* quasi terræ; quin aliquæ etiam, *pinguè* quiddam & quasi *bituminosum*. Aded, ut antiquiores quidam, pro seculi simpliciore genio, etiam ad *stateram* & pondus definire non dubitent, quantum de quolibet talium aquis talibus inhærente, experimento sibi compertum sit.

XXIV.

Interim, sicut è *Chymia* etiam propemodum proletraria, non potest ignotum esse, quam ingens subsit difficultas, *alumen* & *Virriolum*, inter se confusa, tam exacte sequestrandi, ut cuiuslibet *exquisitum pondus* describi possit: & præterea sedimentum, quod è *digestione*, atque *coctione*, & *evaporatione*, atque nova *dissolutione*, talium mixturarum resultat, *calcarium* potius, quam *metallicum* (è *virriolacè* compositione) existere, non minus impeditum sit certò determinare: ita totius etiam hujus, revera rudioris & quasi superficialiæ, *docimasiæ*, minime sufficientem, ad ultimam conclusionem formandam, *scientiam*, duo illa satis nota experimenta manifestant: 1.) quod materiæ tales, *Virriolum*, *alumen*, *nitrum*, *sal commune* aut *marinum*, *lapis calcarius* &c. allegatis proportionibus inter se commixta, tamen nemini adhuc, vera & satis fundatâ experientia, ad pares effectus inde reportandos, satisfacere potuerint. 2.) quod etiam ipsæ *nativæ* tales *acidulæ*, præsertim *aliæ præ aliis*, longe *minus* efficaciam talis expertæ absolvant, si non *recentes* avectæ, vel per longum plurium mensium spatium *asservatæ*, exhibeantur. Quia aliquæ harum, quod imprimis *Pyrmonia-*  
nis

anis familiare est, si ita recentes in vasa concludantur, baluosa quadam expansione, hæc rumpant & effringant,

XXV.

Unde jam ad invincibilem hujus indolis ignorantiam, verbis nihil exquisitè significantibus aut determinantibus, *spiritus, Gas, Blas. sulphurei, esurini*, &c. *larvandam*, necesse fuit confugere; & variis *Rhetoricis* coloribus occultare, verum atque simplicem sensum, quod hujus plane *singularis*, sed simul etiam *præcipuæ*, energiæ, vera indoles corporalis, *formaliter* ignoretur. Quo sane *cordatè* prolato, simplex erit in promptu confessio, quod tota reliqua de his rebus *curiositas*, & *experientia* æque, atque *scientia*, dum in *præcipuo* quasi colophone totius negotii, deficit, mutila sit atque manca: & tantò apparatus prætextum finem, nempe veram *scientiam* omnibus numeris absolutam, nequaquam assequatur. Unde, licet reliqua experimenta, quod hoc, illud, istud, *salinum* compositum, aquis talibus *insit*, *Chymicam* quidem *scientiam* & *artem*, & *physicam* *historiam* instruit; imo tantisper etiam *physico Medicam* contemplationem, in eo respicit, quod aliquid de his etiam *salibus*, ad effectus illos speratos *cooperari* possit: interim dum *præcipuum*, & veluti *palmarium* illud, *experientiæ Chymicæ*, & *rationi physicæ*, adhuc refractarium & occultum manet; simplicissima certe *Dialexis*, aliam *conclusionem*, ad vere *scientificam* hujus negotii *theoriam*, inde elicere non potest, nisi, quod ad summam negotii, & verum *apicem*, totius *questionis*, toto illo specioso apparatu, NIHIL actum sit, & omnes *experimentorum* talium allegationes, nihil, nisi *narrationes* suppeditent, ad *Chymicam* & *physicam* HISTORIAM sigillatim referendas, sed præfixum ultimum scopum *physico-Medicum*, frustrentur.

XXVI.

Quamvis autem reliquæ nostræ res tam parum, quam instituta nostri generalioris ratio, ferant, ut in harum dis-

C

quili:

quisitionum difficultates nos etiam ingeramus; tamen paucis verbis notare licuerit, quod universæ illæ tam vulgares *chymicae* docimantæ, quam his, nec ipsæ quoque fatis justis connexionibus passim superstructæ, collectiones atque *conclusiones physicae*, etiam adhuc graviter implicitæ hæreant, in ipsarum materiarum *numero*, & solum sensibus non ita inaccessu habitu. Dum videlicet rudior *Chymica* experientia, nequaquam satis assequitur, neque *primum ortum*, *nativi virioli*, atque ejus *proventus*, neque *diversitatem* ejus, à *Vitriolis*, arte quacunque productis. Quotusquisque enim, amabo, qui se *Chymicum* profitetur, potest, *per experimenta, demonstrare*, quomodo *minera metallica*, ita in *Vitriolum* deduci possint, ut nulla *Ignis*, sive *destructoria*, sive alicujus quantitatis insignis *subtractoria*, actio intercedat? E. gr.: si aliquot pondo idoneæ *minerae ferreae*, (qualis est vulgo dictus *pyrites*, è quo formantur lapilli illi, qui pro incendiando pulvere pyrio in antiquioribus bombardarum ignitabilis adhibentur, die Büchsensteine, die man auf die teutschen Feuer-Rohr oder Pistolen-Schlösser brauchet,) repositi adserventur per longam annorum seriem, manent illi in sua consistentia, nihil alterati. Si verò illis, & tanto magis saxo suo fissili adhuc intextæ, huic *minerae*, levissimum quoddam tale *adminiculum* adhibeatur, quale in montium atque terrarum *cavernis*, passim abunde occurrit, concipit inde illa *minera*, subtilissimam talem commotionem, quæ semel coepta (quamvis placide, adeoque non impetuose aut præcipitanter,) latius serpit, & in *cumulo*, contigua quoque frustra afficit & pervadit, ut magis magisque *minera* hæc tota, *virriolaceum* sal præbeat & producat. Sine ullo, inquam, *ignei motus*, aut qualiscunque *actus*, interventu, *mixtio sulphuris* laxetur, ut portio ejus abundantissima *salina acida*, *metallum* intertextum, ita solvat, & solutum imposterum teneat, ut non solum, ex ipso *aire* magis magisque assumpta *humiditate*, *lanuginem*, imo *crystal-*

*crystallulos vitriolicos* formet, sed etiam hoc *Vitriolum*, copiosiore aqua post hac affusa, cum hac dissolutum inde elutriari, & in *crystallos* redigi possit.

XXVII.

Quotusquisque, inquam, Chymicorum, habet satis comperum & perspectum, quomodo hic & illic, eadem ratione, *sulphur*, venis talibus lapideis intertextum, harum saltem cumulis, libero aëri atque tempestatibus expositis, successu temporis, eandem *dissolutionem mixtionis* suæ subeat; ut, *dimissa*, vel *amissa*, illâ portione, quæ principium *flamme* concipiendæ ipsi præbuerat, jam *salinam* suam energiam, *humiditatis* atmosphæricæ auxilio, in portionem *lapidis* illius exerceat, & tantum de illo combibat, ut inde, copiosiore aqua, elutriatum, *alumen* deinde constituat. Quotusquisque, inquam, monstrare potest, aut solet, & comperum atque perspectum jam satis habet, quosque in molli atque laxo illo *pyrite ferrifero*, quem *mineram martis*, (inani pompâ) *solarem* appellant, in *Hassia* uberius reperiundo, & sine alio adminiculo, longiore temporis tractu, in *salino-vitriolicam* talem crasin vix transeunte, verum *vitriolum* nascatur; & simul, quantum aliûs adhuc materiæ, vehementer *styptica*, una subnatum fit: & cujus fit illud indolis, tam ratione *salinæ* suæ, quam reliquæ ab hac *solutæ*, substantiæ.

XXVIII.

Quotusquisque, inquam, satis apertè annotatum reliquit, quod omnia talia *vitriola*, *sine ignis* concursu subnata, admodum ita *heterogenea* sint, ut *semper*, & quædam horum etiam magna *copiâ*, conjunctam habeant *stypticam* quandam *salinam* substantiam: Plus minus quidem vere & manifesto *aluminosam*: Interim nequaquam totam simpliciter talem, sed in rei veritate adhuc valdè diversæ indolis à puro simplici *alumine*: quod vel immediate *immanis* illa *styptica* efficacia, nudo gustus sensui offert. Quo-

cusquisque verò satis notum & notatum habet, qualia *falia*, *subterranei* ortus atque situs, cum uno eodemque solubili subjecto, v. gr. *ferro*, solutione arrepto, *summam* talem, aut *mediam*, (qualis in *alumine* sentitur) aut in hoc ordine *levissimam*, qualis in *vitriolo maris* occurrit, *styptricitatem* forment.

XXIX.

Quotusquisque autem satis notum & perspectum habet, quid *diverse* substantiæ salinæ, demonstrari possit, ex hujusmodi *Vitriolo*, *sine ignis* ope producto; quæ in *Vitriolo per usionem* parato, vel plane frustra expectetur, vel immensum quàm minore quantitate in illo inveniri possit. Quotusquisque saltem illud satis cognitum habet, quod, & quantum *spiritus vitrioli* (etiam cujusvis vitrioli,) leniore ignis impulsu prodiens, differat à crassiore illo salino cramate, quod, *olei vitrioli* nomine, longo & fortissimo ignis impulsu demum propellitur. Quotusquisque vel ipse perspectum & compertum habet, vel è paucis hanc rem nota aliqua dignatis, animadvertit, diversitatem *spiritus vitrioli*, è sic dicto *capite mortuo* præcedentis *spiritus*, longiore tempore *regenerati*; differentiam, inquam hujus, (& quibus demonstrationibus illa fitti possit,) ab *oleo vitrioli*, quod proditurum fuisset, si illud nominatum *caput mortuum*, statim ultimo ignis tormento propulsum fuisset.

XXX.

Imò, quis tandem adhuc demonstravit atque definivit, cujusnam proprie indolis sit illud concretum salinum, quod, à paucioribus demum annis, ex *acidulis Egranis* colligi, & crystallina forma exhiberi fœvit: Ut vel inde, tam manifesto atque crasso exemplo, ad omnes has res, saltem luculentiore experientia discernendas atque illustrandas, aditus patefcere possit.

XXXI.

XXXI.

Quamquam enim ita, quoque conclamata certè adhuc spei futurum esset, ut *formalis* ratio determinaretur, quam obrem hujusmodi *nativis* vitriolis imprægnatæ *acidulæ*, effectus aliquos exhibeant, quos à *vulgaribus*, arte paratis, *viuriolis*, frustra sit expectare: Haberent tamen ad minimum adhuc uno passû ulteriorem *materialem* rationem, cui diversitatem hanc efficaciam, non ita immerito assignare valerent.

XXXII.

Ita etiam de *aquis* talibus *salutaribus*, ex improvise alicubi erumpentibus, non ignota est observatio, quod illæ *per initia*, aliquando effectus aliquos exhibeant non contemnendos; Sine ulla *Chymicis* examinibus, & *physicis* manifestis rationibus, satis quadrante & proportionata doctrina. Quos tamen effectus, licet deinde non injuria *spirituose* cuidam, aquis talibus sub longa collectione atque mora subterranea, innatæ, adscribant Theoretici: & hanc alii ab intestina *fermentali* attenuatione accersant; alii ab infinuata *aëreo-ætherea*, per poros terræ ad has penetrante *spirituoso-salina* substantia: intelligit tamen facile quilibet, quam longe adhuc adsint hujusmodi *circumlocutiones*, à solido aliquo conceptu, sive de *materia*, sive de tam efficaci *formali* ratione. hujusmodi substantiæ. Unde quidem nominationes tales, ad fallendos discursibus mortales, inserviunt; longissime vero adhuc absunt, a jactatâ illa, & velut *imperatib* passim, *scientifica* harum rerum cognitione. Unde nempe desperata quasi *scientifica* ratione, semper acquiescendum est, in simpliciter *practica*, & hic quidem simplicius *empirica*, de illis experientiâ: Quicquid etiam contra niti Theoretici illi, vel affectent, vel videri velint.

XXXIII.

Unde moderatiores quidem talium, eo restringunt prætextum necessaria; harum rerum cognitionis con-

rendæ, ut ad minimum persuaderi possit aliis mortalibus, quod aliquid amplius quam *nudam Empiriam*, & velut otiosam historiam, Cordi hic habeant; interim, ubi altius penetrare sensui & intellectui denegatum inveniant, ibi æquiore animo vestigia sequantur copiarum illarum, quæ notante Poëta, *ibant qua poterant, qua non poterant, ibi stabant*. Clarè autem satis inde dilucescit, tum *Chymico-physicæ* hujus solertiæ insufficientia; tum *Medicæ Theoriæ* atque *Scientiæ* sufficientis, limites: nempe in veritate satis comprobati effectus, tanquam τὸ ὄτι: & satis comprehensa *necessitate*, peculiarium *circumstantiarum*, pro salutari applicatione observandarum, tanquam τὸ διότι comprehen-

XXXIV.

Ut enim paucis verbis expediamus veram & realem *diversitatem*, *crudæ* atque *mutilæ* *EMPIRIÆ*, quæ vero stricto usitato sensu hujus vocabuli, in *Medica* schola meritò improbatur; à bene fundatæ *Medicæ practicæ Empiriæ* indole: Consistit & subsistit, prior in nuda allegatione τὸ ὄτι; *posterior* autem occupata amplius est, in per investigatione τὸ διότι, quantum hoc vero *usui* & salutari *effectui* proximè responderet atque deberet. Id est, cum *cruda* Empiria inaudiverit, quod remedium aliquod alicui morbo salutare existat; trahit illud in usum, sine cura aut notitia conquistâ, *methodi* atque *ordinis* applicandi: imo insuper sine sufficiente & bene fundata *Diagnosi* præmissâ, veræ indolis morborum, eorumque progressuum, & peculiarium successuum. Quo nomine meritò notandi veniunt nudi quidam atque *crudi Catalogi* vulgo prostantes, *materiæ medicæ*, secundum *particulares* corporis affectus; & pleraque *Herbaria*, præter simplicem *physico botanicum*, etiam *medico-pharmaceuticum* usum, allegare atque tradere, præ se ferentia: Qualia proinde vernaculis idiomatibus in publicum emittere, cordatiores Medici, propterea maximè improbant, quia hac ratione malè fundatæ illi *Empiriæ* occasio subministraretur.

Ve-



Verior autem atque sanior *Medica* Empiria, comprehendit utique adhuc sub se, modo dictas illas *conditiones*, adeoque *τὸ δῶν*, in quantum ad *firmam experientiam* perspectum salutarem usum, *proximè* collineant: Nempe, ante omnia, veram *Diagnosin* illius *speciei* morborum, cui remedium tale verè satis facere solet: Et verum atque legitimum applicandi *tempus, modum, & mensuram*: Et denique efficaciam ejus, ad *temporarias secreciones & excretiones*, sublevandas atque promovendas: aut simpliciter *specificè* salutarem effectum. Quibus rebus undique rectè perspectis, & per individua administratis, uti scopo suo *Medicus* rectè apud patientes potitur; ita etiam *pragmatica scientia* tali, rectè instructus existit, *quatenus Medicus*. Quicquid autem ulterius suscipere valet, aut vult, non ut *Medicus*, sed ut *Physicus*, aut *Chymicus*, tractabit: in quo cœpto quousque pertingere deat, opus simul ipsi erit, tam è *Metaphysica sana, verò intellectu ordinis respectuum causatum*, quam è *Logica sana*, habita bene atque *categoricè* argumentandi atque concludendi. Placet obiter duo specimina allegare nudæ illius adeoque subinde frustraneæ, & contra verè medicæ Empiriæ. Datur remedium, quod simplicem *idiopathicam odontalgiam*, non solum præsentissimè, sed & constantissimè, & quantum adhuc testatum dedit experientia, in perpetuum, sanat: Manentibus licet *cariosis* dentibus, qui, luculento teste hoc experimento, non nisi *occasionalis*, aut *antecegens* ex parte, talis doloris causa existunt: (ut etiam aliter ex eo notorium est, quod innumeri homines *cariosis* dentibus laborent, citra ullam, in primis talem, *odontalgiam*.) Hoc idem interim remedium, in *odontalgia symptomatice, hemieranica*, ne hilum quidem prodest. Datur remedium *antiepilepticum* numerosis exemplis clarum; quia vero modus illud exhibendi, peculiari planè morbi circumstantiæ, & juxta hanc exquisito tempore exhibendi, ita alligatus est, ut non *intellectâ* hac, aut *neglectâ* hac, vix quicquam effa-

effatu dignum efficiat: Frustra propterea sunt *Empirici* illi, qui non cognita, aut neglecta, hac circumstantia atque *methodia*, indifferenter a talium usu, certum illum effectum exigunt aut præstolantur. Ubi interim omnis, ulterior ratio verè specificæ hujus efficacix, ita absolutè *scientiæ* rasragatur, ut, (quod parallelis exemplis facilè esset illustrare, nisi hujus census Theoretici summe impatientes essent demonstrationis debilitatis argumentorum suorum) nimio magis decorum videatur, de tali re potius tacuisse, quam inanibus verbis, ordinis causarum, atque conclusionum, crassam ignorantiam, publicè ostendere.

XXXV.

Quibus, ad Thermarum etiam Theoreticam considerationem *Physico Chymicam* quadrantibus, ita præmissis, ommissa hujus rei etiam in nos suscipiendâ curâ, potius de illis loqui pergimus, quæ ad nostrum institutum pressius quadrant; Ut nempe, è fundamentis à nobis præmonstratis, sententiam nostram edisseramus, de *vero usu Aquarum* talium, recte discernendo, & *abusu* illarum evitando. Ubi nempe, primo loco, bene cognitum, & multiplici experientia confirmatum esse debet, quæ similium aquarum, vel *generalio*rem solum utilem effectum exhibere sentiantur; aut, quænam harum etiam *specialiores* quosdam effectus, pro certis morborum *speciebus*, ita edere possint atque soleant, ut hoc intuitu alteræ illæ ipsis nequaquam utiliter *equiparari*, & velut eodem loco habendæ, ad pares effectus, sine discrimine commendari mereantur.

XXXVI.

Ubi statim notanda venit, trivialis illa malè fundata opinio, quasi remedia, quæ *generali* effectu cū aliis conveniunt, simul tamen adhuc *specialio*rem etiam aliquem exferunt, velut indifferenter haberi atque usurpari possint, juxta cum alteris illis, *generali* tali efficacia his conformibus. Cum enim *Medicæ materiæ* hoc propemodum familiare habeant,

ant, ut non ita simpliciter otiosè sese gerant in corpore, quin potius, si non materiam ibi inveniunt, suæ efficacix tubeundæ aptam, in ipsos potius *humores* corporis, & horum *motus*, aliquid agant, quam ut simpliciter nihil agant: facile hinc est intelligere, quamobrem indifferens talis suusus, vere *differen- tium* talium aquarum, non possit temerè locum habere.

XXXVII.

Præterea, notum etiam satis est, quod aliquæ talium aquarum, præ alteris, tam consistentiâ *crasiores*, & quasi rudiores atque *crudiores*, sint; dum aliæ, sive *tenuiores*, sive penetrantiores, aliquæ verò etiam *dilutiores* deprehenduntur: quàm ratione inde expectandi effectus, *dilutiores* tales, etiam *debiliores* aut *segniores* existant: *penetrantiores*, unà notabiliter *saturate*, ex opposito, *fortissima*: *Crasiores* autem illæ, *fortes* quidem, sed unà *ventriculo* & *visceribus* molestiores, observentur. Unde tales etiam ita indifferenter, diversæ indolis *subjectis* æquè, nempe diversa textura atque robore corporis conspicuis, quam diversæ indolis *morbis*, promiscue applicare, etiam prudenti rationi consentaneum haberi non possit. Dum morbis fortioribus debiliora, debilioribus fortiora, corporibus robustioribus segniora, delicatioribus atque sensibilibus fortiora aut crudiora, destinare, ipsa utique ratio dis- suadet.

XXXVIII.

Neque dispar est ratio *mensuræ* adhibendi. Dum utique *fortiores* tales aquas, pari, cum *debilioribus*, *quantitate* & *mensura* usurpare, & vicissim, analogiæ rationis non minus refragatur. Tantò magis autem, si in rei *veritate* certæ aliquæ tales aquæ, *prærogativam* singularis cujusdam effectus, ad singulares affectus, promittant; temerariæ potius *Empiricæ* spei, quam consultæ *dogmatico methodicæ* rationis fuerit, etiam à *generaliore* efficacia, & in hoc qualicunque convenientiâ, quarumlibet talium aquarum, po-  

D

tius

tius *per omnia similes* effectus expectare, atque ægris pol-  
liceri, quam eosdem ad *certainas* illas, hujus energiæ comper-  
tas, cohortari aut ablegare.

XXXIX.

Interim iterum iterumque commendanda utique,  
imò optanda, venit, *cinis* illa, ut tandem, veraci &  
constante experientia, determinatum reddi & haberi pos-  
set, quid potius in rei constanti veritate, quam per *credu-  
litatem* & manus traditum rumore & communem famam,  
tam veræ efficacix *omnium*, quam *speciali* energiæ *singula-  
rium*, talium aquarum, tribui mereatur. Ut ita cum cer-  
tioris fiducia, quam simplici bona spe, illæ ægris commen-  
dari, atque imperari possent.

XL.

Interim ipsum illud impedimentum, quod hoc postu-  
latum propemodum eludit, & propterea ipsum quoque  
tam agnoscendum, quam corrigendum, est hoc, quod æ-  
gri admodum familiariter, imprimis è distitis ditionibus,  
non *prius* ad fontes tales dimittantur, quam omnis gene-  
ris, passim etiam in se parum ratis, *tentaminibus* artificio-  
rum, defatigati fuerunt. Quo errore, dum ipsi morbi, è  
*proprio* & sinceriore suo progressu & successu, in alia *sche-  
mata*, & *contumacioris* mores, & *heteroclitos* motus, agun-  
tur: & ipsa *diuturnitate*, dum ex aliis artificiis nihil, pro-  
ficiunt, profundiores *radices* agunt: & agrorum *vires* at-  
teruntur: fit, ut hac ratione impar evadat natura *energia*, ad  
*synergiam* suam, cum ejusmodi, bonis ceteroquin, substi-  
titiis, adhuc conjungendam, atque absolvendam.

XLI.

Qua occasione optandum ducimus, ut medici aliqui,  
quos bono *judicio pathologico-practico* instructos esse con-  
sidimus, qui fontibus talibus perpetuo præsto sunt, sylla-  
gas tales exemplorum atque observationum, publico com-  
municarent, quibus, ut ejus rei occasionem habent, bo-  
num

num aliquem numerum recenserent, ægrorum, qui, sub,  
 certa nota *ætatis, temperamenti, prægressorum morborum*,  
*exactioris indolis præsentis morbi, durationis & successus*,  
 ejusdem, usurpatis jam ante *medicamentis atque methodis*,  
 percepto inde (*sepositis palliationibus*) qualicumque, aut,  
 nullo, *fructu: præmissâ* conveniente corporis *præpara-*  
*tione:* instituto *proportionato*, tam suis quam morbi viri-  
 bus, aquarum harum usu: servatâ adhuc, & exercitâ, po-  
 testate *motuum corporis*, & victu conveniente potiti: Qua-  
 les *effectus & eventus*, quanto *tempore*, quibus *successibus*,  
 quibus *phænomenis*, inde reportaverint aut assecuti sint?  
 Ubi de sincerâ atque cordatâ commemoratione dubitan-  
 di, nullam videmus causam, quin monitum illud *Dioge-*  
*nianum* candidè sequi possent (quo ille à *naufragis* desi-  
 deravit, & efficacibus horum votis) ut nihilo magis *salu-*  
*varium* solum eventuum, quam *minus* felicium etiam, ra-  
 tionem haberent: Siquidem, si modo reliquæ circum-  
 stantiæ satis exactè ita commemoratæ fuerint; potius ho-  
 nestissima *excusatio*, quam ullum opprobrium, has aquas,  
 inde certò manebit; imò, tanto majore cum fiducia at-  
 que fide, ægros *tempestivè* ad hos fontes cohortandi, oc-  
 casio inde suppeditabitur: & cautio insuper commenda-  
 bitur, ne ægri prius tot & tam variis tentaminibus, vires,  
 suas & facultates exhauriant, antequam serò deinde apud,  
 has aquas refugium quærant.,

XLII.

Præcepimus propemodum hæc Vota, quæ commo-  
 dius ultimo demum loco proferenda fuisse videri possent.  
 Unde ad nostrum filum tractationis revertimur. Ubi a-  
 nimadvertere etiam est operæ pretium, quid commodi,  
 ad minimum sub illo tempore, ægris talibus attulisse videat-  
 ur ipsum *iter*; inprimis qui aliquantò longius conficere ne-  
 cesse habent, tam versus hos fontes, quam retrò ad suos  
 penates, Ubi passim dilucescit, quod etiam hujus ipsius,

non plane nulla concurrat bona efficacia. Quod tantò magis valet de *voluntarii* corporis *motus* usu, sub ipso tempore usus aquarum, imprimis *acidularum*. Unde certe ita jam affectis, ut hoc subsidio potiri, minus, aut planè non valeant, communiter longè minus feliciter etiam procedit atque succedit, totus bonus effectus talium aquarum.

XLIII.

Porro, vindicat sibi proprium omninò locum, in quarumlibet tandem salutarium aquarum usu, iusta corporis *preparatio*, per medicamenta, tam à communibus fordibus sanguinem *repurgantia*, quam corpus bene *conspirabile* reddentia. Ne largius ingurgitatæ aquæ tales, æquabilem *distributionem*, & expeditos *secretorios* successus, non inuenientes, inæquali successu qualitercunque commotorum humorum, certissimè *turbas* aliquas, imò probabilissime, pericula, aut plane damna, post se trahant.

XLIV.

Ad quem nempe passum, etiam referri meretur, *prægressa* reliqua *medicatio*, ægritudinibus talibus verius quadrans, sed tamen *pleno* ultimo effectui adhuc impar. Vnde videlicet est, quod aliquibus ejusmodi ægris, non solum totus eventus, usurpatarum ejusmodi aquarum, sed etiam ipse progressus & successus ejus, magis ad votum obtingat; qui in aliis, de reliquo reverà pari morbi genere affectis, non sentiat.

XLV.

Succedit his rebus, prudens moderamen totius *methodi*, fontes tales usurpandi. Ubi, licet pro calumnia interpretari non æquè velimus, ad minimum è re non satis intellecta, profluere existimamus, narrationem illam, à non ita paucis, paulo curiosioribus, hoc remedio usis, memorari solitam, quasi admodum *indifferenter*, sine discrimine majoris aut minoris *sensibilis*, & propemodum ipsarum  
cor-

corporis *virium*, ex ipsa ægritudine affectarum, non reliquus solum modus, sed ipsa adeo *mensura*, aquarum talium, *par*, & citra aliam aliquam *proportionem*, commendari imò imperari solet. Quamvis enim respectus forte subesse posset, ad ipsam suppositam *salutarem* aquarum harum efficaciam, quàm talem; & hic applicari duo illa, quasi proverbia: Des guten könne man nicht zu viel thun: und, je mehr Kranckheit vorhanden, je mehr sey auch der Medicin nöthig und dienlich: tamen, cum abunde notum sit, quod effectus hujusmodi aquarum, admodum *mediati*, & quasi *languidi*, ad summam totius negotii, esse soleant; interim autem tam *evacuaciones*, quales omnes hæ aquæ, quotidie concitare solent, *generaliores*, & horum commodus, successus, plurimum utique pendeant à proportionem quantitatis assumentæ: præterea etiam tam *frigus* acidularum, quam *calor* thermarum, in diversa hominum indole, nulla ratione simpliciter pares effectus edere, & prorsus uno eodemque modo tolerari, possint: confidimus potius, à prudentibus illorum locorum Medicis, *proportionem* in hoc negotio, rationi conformem, semper commendatum iri, & credimus, iusta probabilitate suadente, quod error potius debeat ægrorum ipsorum negligentia, qui Medicos hos, de hac re decenter consulere omittant, & potius generali *Empiria*, aut suorum medicorum, pari experientia de his rebus non edoctorum, suafui insistere, & inde incommoda illa experiri, non vereantur.

XLVI.

Neque vero, proxime post *proportionem mensuræ*, usurpandarum talium aquarum, minoris dignitatis rationem habet, *regimen*, quemodo illi sese gerere debeant, qui his aquis uti cœperunt, sub earum usu. Ubi *acidulis* maxime omnium convenit atque debetur, usus frequens *motus* corporis, & quantalibet evitatio *desidia*. Quamvis autem *thermis* quam maxime debeat, tamen neque

apud *acidulas* plane negligi potest aut debet, "prudens observatio *frigoris & caloris* ambientis; utpote quarum *aëris* constitutionum diversitas, manifesto quam plurimum utique potest, ad *conspirabilitatem* periphericam, corporis, sive juvandam atque fovendam, sive impediendam atque turbandam: & consequenter bonam efficaciam, præcipue *thermarum*, ratam aut irritam reddendam: eoque ipso in genere, tam successum quam ultimum effectum, salutarem, huiusmodi aquarum, impediendum.

XLVII.

Quorsum etiam omninò referri debet, solers observatio *intermedii* similibus aquarum effectus; nempe quomodo illæ per corpus, magis aut minus *liberè*, facile atque *liberaliter*, aut contra *impeditius*, procedant, & per varias *excretiones* iterum erumpentes, transitu suo interim corpori bonos aliquos effectus præstent. Quo nempe intuitu, multum utique etiam tribuendum est experientiæ, quæ tamen rationi deinde non impervia aut imperceptibilis manet. Dum v. gr. *Thermarum potatarum*, sæpe etiam ingens mensura, in aliquibus subjectis tamen ita *restitat*, ut per *urinam*, ne dum *sudorem*, nulla proportionata ejusdem depletio & *evacuatio* subsequatur; quo casu temerarium, & anceps ad minimum, videri posset, *mensuram* assumptionis ulterioris adhuc *augere*. Quandoquidem rationi utique consentaneum videtur, quod, si etiam adhuc amplius ita augetur, ingurgitatio talis, & hanc ipsam quoque non recedere contingat, præsentius inde damnum potatori immineat. Monstrat autem nota affatim experientia, quod hoc propemodum sit illud remedium, *perruptionem* illam citius obtinendi: Cum familiaria sint ejusmodi exempla, ubi è satis magni numeri *scyphorum* usitatorum ingurgitatione, multis utentium, libera aquarum harum *exoneratio*, quasi toties, quoties hanc mensuram servant, non procedat; si verò unum aut duos solum *scyphos* amplius adjungant,



gant, totum *depletionis* debitæ negotium, denique recte atque expedite sequatur.

XLVIII.

Interim, ne hic etiam nudæ *Empiriæ* plus justo tribuatur, venit utique dijudicandum, partim, quodnam reliquum sit *robur*, & quæ *vires*, bibentis: partim, quibus forte levibus *adminiculis* adjectis, liberior progressus talis, citra nudam augendæ *mensuræ* aleam, tamen obtineri valeat. Et quidem sine præjudicio in efficaciam reliquam ipsarum harum aquarum forte redundante: quo nomine *nirum* inprimis laudare, minimè dubitamus.

XLIX.

Magis autem anceps, utique est illud circa *thermarum* potum experimentum, quod, foeminei inprimis sexus ægri, ab hoc potu *tumores pedum* incurrere aliquando soleant. Quos tamen velut insuper habendo, & potum talem audacter *continuando*, augescens magis magisque tumor ille, tandem ad *crepaturam quasi* quandam in pedibus, pertingat: è qua sub *continuato*, sive potus, sive infusus, usu, & *tumor* ille sensim iterum subsidet, & reliquus expectatus bonus effectus universalior medicationis hujus absolvitur. Quæ res, uti, circa fiduciam boni eventus, propemodum *nudæ experientiæ* superstructa est: ita requirit tamen etiam omnino, *rationalem* dijudicationem, *analogiæ* constitutionis reliquæ talium subjectorum, cum illis, quibus hæc ipsa utendi & continuandi methodus, alias ita bene cessisse observata est: extra quam utique temeritatis aliqua nota vix evitari posset, si simpliciter, & sine ullo discrimine, hæc alea jacienda decerneretur.

L.

Sicut autem tam *viscerum*, quam universæ œconomix corporis, *robur*, tam à *ratione* quam *experientia*, ingens momentum imò pondus habet, ad suadendum talium aquarum usum; unde etiam proverbium quasi illud præjudiciale  
naturum

natum est: *Wer Schaden an denen innerlichen Gliedmaßen, oder v. Leerbibus, an sich habe, dem sey der Gebrauch (der meisten) solcher Wasser mehr schädlich als dienlich: Ita optandum unquam est, ut magnis hujusmodi constitutionum, aliunde, quam à solo tentamine demum hujusmodi aquarum, adeoque ulteriore malo eventu, & augmento morborum talium, præcipi atque præjudicari possit. Siquidem certum futurus est, ab harum aquarum usu experiri velle, nemini consultum videbitur.*

LI.

Ut itaque nostram etiam sententiam, de toto negotio bonæ spei, de harum aquarum usu concipiendæ candidè eloquamur; plus illis tribuimus, si *mature*, & antequam morbi quibus destinantur, altiores jam radices egerint, usus harum suadeatur: quam *tardè* demum, omnibus aliis, & imprimis *heteroclitis*, tentaminibus medicis, omnem expectationem frustratis: & sub his, non solum inveterato jam, sed vel sensibilibiter magis magisque in deterius prolapsa, toto morbo. Cui consilio contrariam planè viam insistens communis praxis, mirum non est, si non solum consilii sui bonum eventum non assequatur; sed inde etiam in reliquum *verum salutare* effectum harum aquarum, calumnia redundet, & simul de veritate legitimi salutaris hujus effectus, perpetua velut incertitudo foveatur.

LII.

Confirmat hanc nostram assertionem, notissimum illud, quod *sanis* adhuc & velut animi solum gratia, tales aquas usurpantibus, dummodo nusquam *excessibus* indulgeant, vix unquam ab illis incommodum aliquod, aut damnum eveniat. Præterea etiam, qui *levioribus* adhuc valetudinis incommodis affectos sese sentiunt, aquarum talium usu quasi communiter sublevari se deprehendant; E quo certe effecto, non solum in sese veluti innoxius, sed  
etiam

etiam in ordine ad inclinantem valerudinem, & metuendos ultiores ejus pejores progressus & incrementa, *preservativa* efficax atque salutaris aquarum harum usus, jure meritoque agnoscitur. Sicut autem *præoccupatiōis* gliscentium adhuc morborum, ne profundius radices agant, atque prævaleant, longe utique dispar est ratio, quam *curativa* evacuationis, jam profundius innidulatorum morborum, & non tam amplius causarum, quam effectuum eorundem: ita putamus certè sanæ rationi luculentissime consentaneum esse, quod talium etiam aquarum usus, qui *preservativa* efficacia longe certius & constantius se commendaturus esset, dum *curativo* effectui passim præpostere adhibetur, non solum spem de ipso conceptam frustratur, sed etiam justæ meliori famæ & existimationi aquarum harum, quamplurimum detrahat.

LIII.

Quibus rebus omninò adstipulatur, fati propemodum vulgo notus, *temporarius* harum aquarum effectus. Dum videlicet, qui adhuc aliquanto levioribus atque modestioribus valetudinis suæ detrimentis affecti, utur sensibile levamen ab aquis his reportent, tamen ita *constans* & perpetuum illud non reperiunt, quin aliquot mensibus elapsis, paria incommoda denuò subnasci sentiant. Quibus itaque repetitum aquarum harum usum, non inconsultò destinant.

LIV.

Interim, suppeditat hæc etiam res, si non plenum documentum, tamen argumentum certe non levis ponderis, quod aquarum similium efficacia, ultra *preservativam, leviorum* adhuc morborum causas *præoccupandi, & levioribus* illarum effectibus, ad restitutionem adhuc tempestivam, viam sternendi, insignem potestatem minus tueatur. Unde sponte quasi fluit ratio, quamobrem *inveteratis* jam morbis, nempe penitiores & profundiores jam effectus in corpus humanum fortitis, longe *rariùs*, quam alteris illis, pares se exhibeant. Nempe illa planiore consequen-

E

tia,

tia, quod, cum leviores adhuc morbos, rarius ita eradicare possint, quin subinde denuo *repullulent*; *repetito* pari usu tempestivè iterum expugnandi: tanto minus certè, jam *ingravescentibus*, pares & sufficientes judicari possint.

LV.

Ubi nempe phœnomenon illud, quod aliquando, sed certe oppidò rarius, etiam diu toleratis morbis, tamen adhuc salutarem effectum præbuerint, meretur certe ad prudens examen veræ constitutionis æque, atque indolis, morborum talium revocari. Quandoquidem dantur utique affectus tales, v. gr. *hypochondriaci*, qui etiam longi temporis, annorum aliquot, progressu, equidem *perseverantes*, tamen non insigniter in *deterius* inde prolapsi sunt; sed in se potius *æqualem* adhuc tenorem servaverunt: licet ægris, augetens de tempore in tempus fastidium & impatientia, sic affectæ valetudinis, adeoque moraliter magis quam physicè, graviores illos efficiat. Talibus, si à similibus aquarum usu salutaris effectus obtingat; nequaquam confundi ille debet, cum vero *physico* morborum similibus augmento, & vera morborum, alius jam grassata atque *radicata*, energia.

LVI.

Ceterum, ut redeamus eo, unde digressi sumus, est propter ea quæ tetigimus, de *repetito* harum aquarum usu, bene ponderandum, quousque ille, in ægris, vel omnibus, vel, pro suo sensu & experientia, singulis, ceu *preservativè*, purè & simpliciter utilis, ad minimum præoccupativè (sit venia verbo) suadendus atq; suscipiendus videatur. Ubi certe, cum rationes nobis habere videamur non contemnendas, quamobrem præcipuum effectum aquarum harum magis assignemus *preservatorio* scopo, aut ad summum *præoccupationi* adhuc deteriorum successuum & eventuum, nempe profundius agendarum radicum, & inducendorum graviorum effectuum: agnoscimus eo ipso utique consultum, ut ad minimum illi, qui post aliquos præterlapsos menses, pristina sua incommoda *repullulare* sentiunt, idem  
leva-

levamen, quod jam semel ab his aquis perceperunt, etiam  
*denuò* apud illas quærant.

LVII.

Quamvis enim multis utique sic affectis, inprimis qui longius iter instituere necesse habent, tam sumtus, quam rerum suarum domesticarum atque functionum, aliquod interim detrimentum, dissuadere hoc possit; tamen, nisi ea accedat conditio, ut domi tam felicibus esse contingat, ut ab aliis medicationibus ipsis bene sit, adeoque securius repetitionem hanc negligere queant: consultius undique fuerit, pro facultatibus suis, hoc potius onus non reformidare, quam adhuc gravius damnum expectare velle. Nempe, ut præalescens, per hujusmodi neglectum, mala dispositio corporis sui, tandem in eum habitum deducatur, ut non solum longè contumacius, sed etiam longe potentius, ipsos obruendo atque implicando, impostum etiam rebus suis domesticis atque officiis impares reddat, unde multis modis graviora damna perfertiscant.

LVIII.

Quid, quod etiam huic incommodo, ratione molestiæ æque atque expensarum, per iter subeundarum, illud levamen assequi possint, ut ad suam domum accersere possint acidulas: adeoque longe minore incommodo, effectu illarum potiri.

LIX.

Ubi etiam de *thermarum* usu, illud adhuc notandum venit, quod experientia solers atque prudens, (cujus nomine Illust. Consiliarium aulicum & primum Archiatrum Regiæ Majestatis Borussiae, Dn. GUNDELSHEIMERUM, laudamus,) confirmet, quod hæc etiam aquæ, in diffusa loca exportatæ, atque *moderato* solum denuo concalescatæ, non solum nihilo minores, sed pro pectoris affectibus etiam meliores, effectus, exhibeant, *interno* usu, quam apud ipsos suos fontes. Quæ res profecto consideratu atque notatu longe dignissima existit.

LX.

Quamvis autem etiam *acidule*, inprimis *Egranae*, laudabi-

dabili Medicorum & pharmacopœarum ejus loci solertia, in salinas *crystallos* reductæ obtineri possint; sub qua forma similiter non contemnendos laudabiles effectus exhibent: esset tamen utique operæ pretium, curiosius observare, quid sub illa reductione in tales *crystallos*, partim in aqua inde *abstracta*, partim in ultimo, *crystallinam* soliditatem non amplius subeunte, *residuo*, adhuc, solentiori examine reperiri possit, quod de tota harum aquarum *consistentiâ* forte decedat illi portioni, quæ in *crystallos* coalescit: tantò magis, cum etiam aliis modis artificiosis, vel è quolibet simpliciore *vitriolo*, facile aliquid, etiam per nudam destillationem in balneo maris, præsertim paulo fervidiorè, separari queat, & aquæ transstillanti immisceri, quod neque *saporem*, nec *odorem* ejus insigniter mutet, & tamen longe alterius sit indolis atque *efficaciæ*, quam illud, quod in fundo remanet, in *crystallos* denuo coalescens, &c.

LXI.

Tandem autem, quamvis forte commodius jam superiore aliquo loco collocari potuisset, adjicimus adhuc illud, quod ratio haberi omninò mereatur, notabiliter disparis effectus aquarum talium, secundum diversitatem ita dicti *temperamenti* corporis, & *sexus*. Ubi, ut experientiæ, ita rationibus etiam non longe aut anxie conquirendis, consentaneum est, quod potus *acidularum*, melius se gerat in habitu corporis *spongiosiore*, *sanguineo*, *sanguineo-cholerico*, & tandem *sanguineo-phlegmatico*; quam vel in *strietiore*, *cholerico*, & *melancholico* dicto, vel utroque composito, temperamento, & denique simplici *phlegmatico*. Siquidem *strietioribus* talibus corporibus, inprimis sine diversitate etiam proportionis *mensuræ*, inchoatus, acidularum usus, non solum familiariter incommodiores multos effectus præbet, quam spongiosioribus corporibus: sed omnino, quantumcumque solum solentiori horum eventuum observatione, plane damna aliqua inducit: cujus rei exemplum notatum dignum memoratum est à D. D. Præside, tam in Dissertatione *de Motu Tonico Vitali*, quam in *Pathologia*. LXII.

LXII.

*Sexum* autem quod attinet, vix quisquam propemodum ignorat, quod *acidularum* quidem usus, imprimis *lar- gius* institutus, longe tolerabilior sentiat, *Virili*, quam *feminino* sexui. E converso verò, *thermarum* usus, aliquan- to etiam melius conducit *feminino*, quam *virili* sexui.

LXIII.

Ubi de *thermis*, illud adhuc consideratu dignum at- tingimus, quod illæ primigenium illum suum *servorem*, lon- ge diutius servando, quam semel, præsertim in libero aëre, refrigeratæ, & tunc denuo concalactæ, justæ contempla- tioni locum præbeant in ordine ad usum harum *externum*.

LXIV.

Sicut etiam non involvendus venit silentio, *compositus* ille effectus *thermalium* aquarum, quem è modo *applicatio- nis* assequi sentiuntur. Dum per *Embrocationem* dictam, seu *lapsum ex alto*, doloribus partium *rheumatico-artbri- zicis*, subinde longe efficacius profunt, quam simplici, quan- tumcunque etiam continuato, infessu. Nempè longe ma- jore efficacia *tonica*, per *sensum* illius *lapsus*, quam per nu- dum *calorem*, aut reliquam suam crasin, exhibendâ.

LXV

De *etate*, multa verba facere, vix est necessarium; cum utique nimium *teneræ*, nemo fortassè tales aquas destinave- rit; nec etiam *admodum seniori*: aut sanè circa *confinia* ta- lium ætatum adhuc constitutis, nonnisi sub cautiore pro- portione, usum earundem concesserit. Ubi imprimis de *provehore* ætate, quilibet facilè judicaverit, quod, ut in o- mnibus aliis medicis consiliis, ita hic etiam, prudenter di- stingvendum sit discrimen *virium*, tam *materialiter*, respec- tu *roboris* corporis: quam *formaliter*, ratione *vigoris acti- onum vitalium*. E quibus circumstantiis, quod etiam uni- minus quadrare intelligi potest, convenire potest alteri: quæ res etiam per omnes *ætates* usum suum omnino habet.

LXVI.

Nempè, ut *superflua*, *circa abusum*, non nocent; repe- timus

timus meritò brevibus, quod etiam supra jam tetigimus, judiciosum discrimen adhibendum, inter has *virium* proportionones apud patientes; tam circa decernendum *usum* in genere, talium aquarum: quam circa *moderamen*, ratione *quantitatis* pro usu commendanda. Cum enim, imprimis inter *acidularum* usum, *motus corporis* non postremam utilitatem præbeat, certe qui ad hunc minus apti sunt, siue reliqua corporis *teneritudine*, siue morborum ipsorum impedimentis, vix unquam ita commodum successum usus aquarum talium sentiunt, ut illi, qui diversa ratione in hoc ordine sese habent.

LXVII.

De *preparatione* vero corporis, *antiè* usum, *sub* usu, & *conservatione* ejus *post* usum talium aquarum, equidem similiter, & forte quantum sufficere possit, in superioribus jam diximus. Unde satis esse poterit, ut solum repetamus, quod illa semper *utilis*, neque raro etiam *neccessaria*, sit; comprehendendi autem possit brevibus, & generaliter quidem, sed ita ut etiam ad *species*, satis iusta formari possit applicatio, in eo, ut corpus primo quidem, ut loquuntur practici, à *communibus sordibus* repurgetur: porro vero etiam, bene *conspirabile* atque pervium reddatur. Quo nomine, nempe, non solum *qualitatem*, sed etiam ipsam *quantitatem*, & incommoda ab hac expectanda, respiciendo, *plethoræ* quoque aliquam *Ventilationem* commendare solemus, imprimis iis, qui *thermarum* usum experiri in animum inducunt, *Purgationes* autem, *moderatas* potius atque *repetitas*, quam fortiores, (quas etiam nunquam, nisi in plane specialibus forte casibus atque constitutionibus, probamus,) utiles hic ducimus: neque tam immediatè *proximo* quoque die *ante* initium cum aquis talibus faciendum; quam potius, relicto aliquot dierum, ab usu purgantium, intervallo. *Conspirabilitas* autem illa corporis, partim quidem *medicamentis*, partim tamen etiam prudente usu *motus* corporis, & ratione habita temperiei *aeris*, in bonum ordinem redigitur.

LXVIII.

*Continuationem* usus, quod attinet, non tam æque *uniformi* quadam regula illam circumscribi posse confidimus; quam potius secundum *proportionem tolerantie*, & salubrioris *euphorie*, dimetiendam judicamus. Ubi etiam, quibus consultius videtur, moderatiorem *mensuram* reliquam præscri-



scribere, illis etiam *diuturniorem* continuationem magis profuturam arbi-  
tramur: inprimis, si & *quotidianum* usum satis bene ferant, & *euphori-*  
*am* universaliorem inde percipiant. De quibus nempe rebus cordati, atque  
peritè solertes Medici præsentés, optime decernere possunt: qui etiam sine  
omni dubio illud agent, ut vulgatus iste rumor falsitatis damnetur, quod sine  
discrimine omnibus ægris par utendi modus commendetur.

LXIX.

DIETAM quod attinet, laxior quidem illa esse potest apud *acidulas*,  
quam *thermas*; neutro tamen loco regulas *temperantiae* contemnere, sine  
temeritate integrum est. *Potus moderatus vini*, ut inprimis adfuetis, & præ-  
sertim apud *acidulas*, suadendus omnino venit: ita minus adfuetis, *Medica*  
mensura equidem conducit, interim *absolutè* necessarius, talibus etiam non  
habendus: dummodo aliorum consuetorum potuum, *cerevisiarum* defectu-  
tarum, compotes fieri possint. *Condimenta aromatica*, sive *exotica*, inprimis  
adfuetis, sive *domestica* magis, non negligenda censemus; sed magis in *co-*  
*quinario* apparatu, quam Medicis formulis *concentratoribus*. Quorum et-  
iam referimus usitatiora *stomachicæ*; potius in formulis familiariter usitatis,  
potuum ita conditorum, *vini absyntheticis*, cum corticibus *aurantiorum*, &c.,  
quam in *concentratoribus* formulis *pharmaceuticis*. Omnem autem *intem-*  
*perantiam* evitare, etiam plana sana ratio suadebit. Sicut autem *somni* & *ju-*  
*stæ quietis*, præsertim apud *thermas*, ita etiam prudens usus *motus corporis*,  
inprimis apud *acidulas*, nequaquam negligi debet: neque illud tam simpli-  
cis consilii, quam omnino præcepti rationem habere, intelligendum. Neque  
vero *aeris* atque *tempestatum*, inprimis apud *teneriores*, negligenda venit pru-  
dentior observatio. Ubi inprimis *aër humido, frigidus*, & *ventis* importunus,  
quantum ejus fieri potest evitandus venit: & hoc intuitu tam vestimento-  
rum, quam cubilium, prout commoditas permittit, ratio instruenda venit.  
Neque minus harum rerum, quantum fieri potest, bono moderamini, in ipso  
*isinere*, præsertim *post usum thermarum*, prospiciendum atque consulendum:  
ubi, de reliquo, incommoda viarum, *jectigationes* atque *succussiones*, inter  
*minima* propemodum incommoda habenda veniunt; ut pote quales, si sole  
*arbitriones* affectiones, (nam veris *nephriticis*, plerasque tales aquas parum  
fidi auxilii præstare, pro certo habemus) excipiantur, *conducere* potius, nisi  
nimio importuniores sint, quam nocere, certum est: quod ad minimum eo  
insevit, ut moralia illa *fusidia, rædia*, imo *metus* horum incommodorum,  
apud patientes, sublevetur, qui illis communiter quicquid nocucenti ab  
his resultare videtur, illud veritatis, quam ipsa res, *physicè*, conciliat.

LXX.

Tanto magis autem, demum *reversis*, quietem à mox iterum capessen-  
dis aliis *pharmacis*, commendamus; ut ita diluescere possit, quis verus  
esset aquarum harum sentiat: & hoc nomine, tolerabiliora aliqua ad-  
huc residua, aut immediate post repullulantia, incommoda, patientius per-  
ferenda. Quorsum omnino facit, non tam simplex traditio, quam omni-  
no

nō sano sensu verior observatio, quod aquarum talium usus, etiam si non totam suam energiam, sub ipso usurpationis tempore exferat, tamen aliquo post hanc intervallo, magis se commendat. Aut, si omnino, præsertim post *acidularum* usum, aliquid subvenire necessarium videatur, magis ibi infistatur *tonicis* verioribus, sine ulla manifestiore atque crasfiorē *adstringendī* efficacia operantibus, quam ulla tenus hanc unā inferentibus, & semper *utilem*, hic vero etiam *necessariam*, bonam *ξύμφορον* corporis, restringentibus.

LXXI.

Tandem autem magis cordi habebunt, qui talibus aquis usi sunt, ut *animi perturbantibus*, & *vitæ sedentaria*, quantum usquam fieri potest, evitandis, omne studium atque operam impendant: nisi qualiscunq; melioris effectus harum aquarum, *continuitatem* & *constantiam* amittere velint. Quæ eadem res, etiam ad *longiorem* constantiam talem, & sperandam ejus *perennitatem*, ne semper eandem denuo semitam remeteri cogantur, commendatissima utique haberi debet.

LXXII.

Ubi, ultimo loco, nec illud silentio prætereundum arbitramur, quod nimis sæpè, & præsertim præter necessitatem, *repetitus*, talium æquarum u- alicujus indolem introducat: ut, quando illi deinde planè renunciatur, demum incommoda aliqua eveniant: quibus, nisi admodum prudenter, *pharmacia* consentaneâ, consulatur, revera demum in ægritudines aliquas declinent ejusmodi homines, quibus, *simpliciter* & *directè*, expositi non fuissent. Quæ res inquam, prudente consideratione minime indigna invenietur.

LXXIII.

Atque ita quidem, quæ ad hoc negotium utiliter dici poterant, enumerasse nobis videmur. ABUSUM quod attinet, facile colligi poterit, quibus ille infistat, si *contraria* ratio salutaris usus, ad animum revocetur. Ubi tamen inprimis etiam illud, quod quidem prioribus thesibus jam innumus, brevibus notamus, quod sine omni, *evidente causa*, velut animi solum *gratia*, aliquibus placens talium aquarum usus, non pro re ita indifferenter habenda, æstimari mereatur: cum illud certissimum sit, *medicamenta*, *insignes aliquos effectus*, (uti hic sunt copiosiores *evacuaciones*,) *edentia*, nunquam, *simpliciter otiose*, corpori *impune* objici: & insuper effectum præcedente s. notatum, non ita levissimæ considerationis, haud difficulter assequi.

His quidem, cum proposito nostro satisfecisse confidamus, nihil superest, nisi ut Divinæ gratiæ pro præstito nobis auxilio, humillimas gratias, venerabundi nuncupemus, eamque, ut hos, etiam nostros conatus ad salutarem usum dirigat, quod ex animo facimus, imploremus.

S. D. G.

\* (\* ) \*



Agnus erat quondam fontis cujuslibet  
usus  
Unda, ut credebant, quæque salubris  
erat

Sulphure fumantes latices Acharonta movebant.

Nec non fons acidus, Vah! panacea fuit.

Ast fuit infanæ per blandula somnia mentis

Namque sua ægrotos unda fefellit ope

Quarum virtutum vero experientia testis;

Hoc scriptum nobis, monstrat, amice, Tuum

Hinc mage solemnem laurus Tua tempora cingit

Et Doctorem dat Tibi Musa Gradum

Ambabus merito plaudo; mens gaudia fundit:

Arti Tu decori sis; medicina Tibi.

Hæc Nobilissimo Domino Candidato, Amico suo suavissimo gratulabundus scribebat.

D. JOHANN. ANDR. WENDT.

Musa diu merito cum cingit tempora lauro  
Gratulor ex animo suavem Amice TIBI.

Hæc sunt que Nobilissimo Dn. Candidato commensali  
arque Amico hucusque charissimo gratulabundus  
adjicere simulque perennem Amicitie memoriam  
commendare voluit, debuit

SIMON MAURITIUS BETHMANN.

LL. C.

):(

Nach



**N**ach Mühe folgt der Lohn/nach vtelem Dornen stechen/  
Berlangt man auch hernach die Rosen abzubrechen;  
Diß triffst/mein werther Freund/anjeho bey dir ein/  
Du wirst nach vteiler Last auch wohl belohnet seyn.  
Dein angewandter Fleiß/dein eyfriges Bemühen/  
Last dich zur Ehren-Pfort anjeho auch einziehen/  
Und zeige dir eine Stell / wohln man die nur führt /  
Die die Gelehrsamkeit vor allen andern ziert.  
Da wirstu/werther Freund mit Ehr und Ruhm gecrönet/  
Da triffst dein Wünschen ein/wornach du diß gesehnet/  
Da wird die Müh ersetzt du trägst den Kranz davon/  
Und hast es wahr gemacht: Nach Mühe folgt der Lohn.

Mit diesem hat dem Herrn Candidato, seinem  
wertheften Freund, ergebenst gratuliren wollen

G. H. de Joss.

**Q**uid labor assiduus possit, SVAVISSIME AMICE,  
Hoc TEMET melius nemo docere potest:  
Hinc SUMMUM jamjam CONSCENDIS CULMEN HONORIS,  
Posteritasque TUUM NOMEN ad astra vehet.  
Ob quem successum merito mea gaudia testor,  
Nec non vota lubens addo, precorque, Vale!

Honoris atque Recordationis ergo hæc gratula-  
bundus addidit

ADOLPHUS LUDOV. REINHARD,  
Anhaltinus L.L.C.

**G**Armer! la tua virtù hoggi ti dona  
Trá più illustri Galeni dorati seggi  
Per eternar di tua grand'alma i freggi,  
Tesse la fama un immortal corona.  
Hoggi dunque nomarti ben felice  
Medico in terra, e'n cielo poi felice

In segno di divotione, Hamilliff., e divotiff., serv.

FRID. LUD. MOESERO,

**O**N louë avec raison un bon jardinier,  
Quand il est fort expert à cultiver la terre;  
Lorsque dans la saison il sçait la manier,  
Ne craignant pour ses fruits ni glace ni tonnerre,  
J'ai donc lieu d'esperer, qu'excutant mon audace,  
Vous me pardonnerés, si par allusion  
Je parle icy de vous quoique avec peu de grace;  
Pour qui je ferois bien des vers sans fiction.  
Vos thesés font bien voir par la belle matiere,  
Que vous y decrivés, que guerissant les corps.  
En savant medecin, vótre gloire est entiere;  
Et que pour vous louer je fai de vains efforts.  
Recevés cependant mes voeux en assurance,  
Que je vous suis toujours tout à fait attache,  
Que par L'éloignement ni même par l'absence  
Vous ne ferés jamais de mon coeur effacé.

### Le Marquis d'Eireval.

**A** Musis veræ virtuti adduntur honores,  
Queis meror vitæ tollitur ex animo:  
Cum GÆRTNERE Tuum studium fulgore coruscet;  
Musæ virtutis præmia suppeditant,  
Doctorisque gradum meritò inter munera ponunt;  
De quo gratatur, mens mea tota Tibi!  
Ac Te festatum passu vestigia stirpis,  
Gloria, post vitam non peritura manet.

*Hiscæ Nobiliss. Domino Candidato officiosissimè gratulatur*

**JOH. PHILIPPUS TAUSENT,**  
S. S. Th. Stud. Idsteniensis.

**S**Schmelet oft die allzu kluge Welt  
Auf Sachen, so die Mühe nicht bezahlen!  
Ihr Urtheil will mit solchen Sachen pralen!  
Die jedermann vor schlechte Sabeln hält.  
Wenn Naso von der Hippocren erzehlt!

Die

Die dorten quillt in der Baoten Eeden;  
Will jedermann an ihn zum Ritter werden:  
Man hat sich dis zum Janckens Ziel erwehlt.  
Gewiß der Fleiß wär besser angelegt/  
Wenn man den Tand der Tichter liesse gehen/  
Und blieb allein bey solchem Irrthum stehen/  
Der in der Welt viel tausend Schaden hägt.  
So bald ein Brunn die lockre Erde nezt/  
Der etwas nur von Säure bey sich führet  
Und durch die Hitz die matten Glieder rühret/  
Da/ glaubt man/ sey der Kranckheit Ziel gesetzt.  
Man bildt sich ein/ nun ströme die Natur  
freywillig hin was allem Ubel wehret/  
Was Mattigkeit und Maladie verzehret  
Nun zeige sich die allgemeine Cur.  
Doch weit gefehlt! man lobe wie man mag/  
Oft muß der Brunn die Gruffe des Todes heißen/  
Ja Egra selbst pflegt manchen hinzuschmeissen.  
Wo er dann liegt bis an den grossen Tag.  
Weit besser ist die Hochgelehrte Schrift  
Die auf Vernunft und Klugheit ist gegründet  
Worinnen man den Nutz und Schaden findet  
Der Brunnen Cur: die recht das Mittel trifft.  
Mein Kiel soll igt zur Gratulation  
Noch diesen Vers zu guter letzte setzen:  
Der Himmel will Dein Lob in Ehre äßen/  
Er giebet Dir schon igt den Doctor-Lohn.

Den 4. April.  
1713.

Hiermit wolte dem Hochzuehrenden Herrn  
Candidato in Aufrichtigkeit gratuliren  
Deru ergebenster Freund und Diener  
**Siegmund Gottlieb Hempel/**  
Silesius.



Ua 5376<sup>c</sup>

ULB Halle


3

001 500 18X



sb.









B.I.G.

Farbkarte #13

18

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**FONTIUM SALU-  
TARIUM USU ET  
ABUSU.**

*QVAM*

SUB AUSPICIO DIVINO,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

*GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU*

PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATU-  
RALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LON-  
GE DIGNISSIMO, DECANO h. t. SPECTATISSIMO,  
DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO

*omni Observantia atque Honoris cultu et atem colendo,*

**PRO LICENTIA,**

Summos in Arte Medica Honores, & Privilegia legitimè obtinendi,  
*Ad d. April, M DCC XIII, horis ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Philiatorum Ventilationi submittit,

**PHILIPPUS HARTMUTHUS Gärtner**

ITZSTEINIO NASSOVICUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.